E E

& & Con

Conlam

Conlama

E

E F

[3]

8

ANIMADVERSIONES IN LOGICAM

P. Francisci Jacquier


à D.D. JOAÑE ANTONIO

Moreno Baquerizo

Regiæ Hispalensis Univer-
sitatis in Jure Civili
Doctore, Artium
Magistro, Philosophiæque
Professore, et in
Gratiam Adolescentium,
labente Anno

MDLXXXVIII

dic- tatæ.



Real Archivo



Reliquum est, ut ea, mei Juvenes, jam attingamus, quæ Regalibus Nostri Caroli III Decretis sunt constituta: Iis enim sapientissime cavetur Magistris licere cunctis cum suas edoceant Facultates, ea his adjungere, quæ in Authoribus præscriptis desiderantur, cætera vero, quæ tricis, et farragine involuta complectantur sermone conscribere simpliciore; quo fiet, ut et disciplinæ ipsæ illustres, quo fiet, ut et Tyrones de re subtiones evadant, et Tyrones de re subjecta rectius sint, atque accuratius instructi. Quapropter ea, quâ possimus, brevitate, ac perspicuitate, ita id efficere pergimus, ut à vobis jam cognita, missa; ignota vero, quæ sint manifesta facere curemus.

lo es ... un homb

Animadversio 1.ª

De Ideis Universalibus Porphirii.

5. Quinque sunt, si Porphirio credimus, universales ideæ, Genus, nempe, Species, Differentia, Proprium, et accidens: Genus attributum est universale, pluribus specie differentibus conveniens, ut animal: Triplex vulgò distinguitur supremum, medium, ac infimum; quod nullum supra se habet, supremum, ut res; quod supra, et infra se aliud agnoscit, medium, ut corpus; quod demum aliud sub se non contineat genus, infimum dicitur, ut animal. Sequitur Species, quæ attributum est pluribus solo differentibus numero, ut tota eorum essentia, conveniens, ut homo. Species similiter suprema nominatur, quæ supremo generi, ut ens; media, quæ medio, ut animal; infima denique, quæ infimo proximè subjicitur, sicuti est homo; quæ ita universalis existit, ut generis simul ideam non patiatur.

6. Proxima est Differentia, quæ etiam notio est universalis, quæ de pluribus

dicitur specie, aut numero. differentibusque dum rei alicujus quæritur essentia, ut vitalitas, quæ genus dividit, viventisque speciem constituit; est etiam suprema, media, ac infima; suprema, quæ genus dividit supremum, ut existentia; media, quæ medium, ut vitalitas; infima denique, quæ infimum genus partitur, ut rationalitas: Differentia igitur suprema erit generica, quæ genus supremum partiatur, atque ita deinceps: Differunt autem genere, quæ in ipso non conveniunt, ut homo, et lapis: Specie differre dicuntur, quæ eodem sub genere contenta essentia, et definitione discrepant, e. g. homo, et equus: Numero vero ea differunt, quæ individua sunt ejusdem speciei e. g. Petrus, et Antonius.

7. Individuum est, quod in plura, talia quale ipsum est dividi nequit, cujusmodi est Aristoteles: Differentiæ individuum constituentes hæ sunt, quæ sequuntur; forma, figura, locus, nomen, stirps, patria, tempus, atque individuales propterea vocantur, quia individuum ita constituunt, ut cum alio minime confundatur: Præterea differentia essentialis dicitur, si ab attributo

essentiali; quemadmodum accidentalis appellatur si ab accidenti nascitur: Primi generis ea est, quæ inter hominem, et equum invenitur ex rationalitate desumpta; secundi verò ea nuncupatur, quæ habetur duos inter homines ratione albedinis. Postremò differentia ultima nominatur, si ipsa sola rem ab alia distinquat; si autem secùs non ultima nuncupari solet.

8. Ad Proprium veniamus, quod idea est universalis essentiale secundarium rei alicujus attributum attingens, ut risibilitas; quattuor modis vulgò accipitur; primò, pro eo, quod soli speciei convenit, sed non omni, v.g. esse medicum: Secundò, pro eo, quod omni speciei convenit, sed non soli, sicuti duos habere pedes; Tertiò, pro eo, quod soli, et omni speciei convenit sed non semper, v.g. loqui; Quarto, pro eo, quod omni, et soli speciei convenit, et semper, ut facultas ratiocinandi; atque postremum hocce illud est, quod quartum constituit prædicabile.

9. Accidens deniq. notio etiam universalis est, quæ pluribus abesse, vel adesse potest salvâ rei essentiâ, ut albedo; in quo certè à proprio discrepat, quod rei inest necessariò: Du=

plex Accidens distinguitur, Categoricum, scilicet, et Prædicabile; superius illud est, quod categoriam constituit Substantiæ oppositam; atque idcircó nequit absque subjecto consistere, v. g. color; inferius veró est, quod rei advenit jám constitutæ, et sine ipsa existere valet, v. g. vestis, ex quo patet quid sit inter utrumq.e discrimen. Duplex deinde esse solet, si Scholasticos audiamus, accidentis phisici acceptio, ita ut absolutum unum, modale vero aliud denominent; quorum primum absque subjecto naturaliter existere nequire, posse tamen mirabiliter, divinâ, scilicet, operante virtute, reantur, ut evenire, ajunt, in venerabili Eucharistiæ sacramento consecratione peractâ, atq.e manentibus ibi panis, et vini accidentibus; sin veró modale sit ejus est naturæ ut nullatenus absque subjecto esse valet, ut curvitas in digito. Ast recentioribus philosophis sub Modi duntaxat nomine venit utrumq.e quem à subjecto separari non posse, Deo etiam volente, certius existimarunt.

Animadversio 2.ª
De Prædicamentis.

10. Categoriæ, sive Prædicamenta suprema quædam sunt genera, quibus ea omnia, quæ de substantia singulari dici possunt attributa, continentur: Distinguuntur à Prædicabilibus, in eo, quod prædicabilia attributa illa sunt, quæ enuntiantur de rebus; prædicamenta verò classes quædam sunt, quibus res rerumque attributa locantur: Distinguuntur etiam à Postprædicamentis, quia hæc ex mutuâ prædicamentorum comparatione nascuntur, v. g. prioritas, quæ ex reduzante ipsiusque relationis ad tempus consurgit.

11. Sunt decem Scholasticis prædicamenta, Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, et Habitus. Substantia, est ens per se subsistens, ut corpus: Substantiæ proprietates tres sunt numero; prima, non habere contrarium; secunda, non suscipere magis, aut minus; tertia, contrariorum esse subjectum.

12. Quantitas est id, quo res aliqua dicitur major, aut minor, equalis, aut inequalis alteri: Est duplex Continua, et discreta; continua est cujus partes conjunctę sunt, v. g. digitus; discreta vero cujus partes simul tantum sunt positę: Triplex quantitatis species est, linea, superficies, et corpus; linea est magnitudo longa tantum; superficies longa, et lata; corpus longa, lata, et profunda. Quantitatis etiam tres numerantur proprietates; prima non suscipere magis, aut minus; secunda esse fundamentum equalitatis, v.l inequalitatis; tertia contrario carere.

13. Qualitas id est, quo quales reddimur; quę in quattuor bimembres species distribuitur; in Habitum, nimirum, et dispositionem; Potentiam, et impotentiam; Passionem, et patibilem qualitatem; et Formam, et figuram: Habitus est qualitas dificille mobilis à subjecto; Dispositio est qualitas facile mobilis à subjecto. Habitus est duplex acquisitus unus, infusus alter; superior dicitur, qui labore comparatur, ut habitus est Philosophandi; inferior vero, qui à Deo infunditur, ut habitus fidei.

14. Potentia est facultas ad ali=

quid á natura concessa, v.g. intelligen=di vis in homine; quæ si languida sit impotentia audit. Passio est alteratio subjecti citó transiens, ut rubor ex verecundia; si autem diuturna sit subjecti alteratio, patibilis nominatur qualitas, v.g. pallor ex temperamento. Forma est intestinarum partium ordo v. dispositio; figura demum exterior est rei corporatæ determinatio, quo fit, ut figurâ mutatâ, forma remaneat, si namque tabula rotunda fiat quadrata figuram amittet, forma veró partiumve ordo relinquetur.

55. Qualitatis similiter triplex habetur proprietas: Prima est, ut earum multæ contrarias habeant alias, ut pravitas, et bonitas, si vero media sit qualitas inter duas oppositas, ut viriditas respectu albedinis et nigredinis, nihil est oppositum reperire; atq. id etiam apparet in figuris Geometricis, in quibus quadratio etsi distincta, non tamen censetur rotunditati adversa, aut inimica.

56. Altera est proprietas, ut intendi valeat qualitas et remitti, sic rem re candidiorem conspicimus; sed neque id omni est qualitati commune, non enim

est magis triangulum minus, quam ma=
jus alterum. Postrema est proprietas,
ut accidentariæ similitudinis, aut dissimi=
litudinis existat fundamentum. Quantam
nonnulli adjiciunt, ut res, scilicet, inter se
agant per qualitates.

57. Relatio sequitur, quæ est nihil aliud
quam respectus, aut habitudo unius ad
alterum, v.g. paternitas, et filiatio; quæ
in rebus ipsis si inveniatur, realis vo=
catur; si autem mente fiat, aut co=
gitatione; ut inter genus, et speciem
rationis dicitur; quattuor in relatione
sunt notanda; principio Subjectum, quod
refertur ad terminum. Terminus ipse:
Fundamentum cur sit inter ipsa rela=
tio: ipseq. demum Ordo, aut Respec=
tus: Quoniam vero res nulla ad se=
metipsam refertur relationis realis
extrema non mente modo, sed re
distinguuntur: Qua=propter, ut extre=
ma illa simul natura sint, necesse
est, ita ut uno posito, v.l sublato alte=
rum quoque ponatur, v.l tollatur. Atque
etiam ea sunt relationes propria
cujusque.

58. Proxima est Actio, quæ
ejus est, quod agit exercitium; quod
Passio vocabitur cum ad id, in quo re=
cipitur refertur; quod si actio intus

in re ipsa penitus absolvatur, ut cogitatio, immanens dicitur; si autem secus, ut sectio transiens est appellanda. Deinceps Ubi est rei ad locum, quem occupat, relatio. Quando autem rei est cum tempore, quod interea labitur, comparatio. Situs est partium corporis in loco positio, ut sessio. Postremum Habitudo rei est ad vestes, quibus est induta, relatio. Hec sane categoriarum decas ad duo summa reducitur genera, ut Scholasticis placet, Substantię unum, Accidentis aliud, quę sub Entis categoriâ, reliquarum, ut ipsi existimant, generalissimâ continentur.

19. Jam alia est eâ super re Neotericorum Philosophorum doctrina; hi namque existimant septem duntaxat numero esse categorias, tristissimis illis versibus contineri solitas:

Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura,
Sunt cum Materiâ cunctarum exordia rerum.

Atque mentis nomine substantiam intelligunt cogitandi, ac volendi facultate donatam; materię vero substantiam solidam, et extensam; mensurę deinde sive quantitatis corpoream magnitudinem; motus à loco in locum translationem; quietis rei in loco perseverantiam;

figuram supra definivimus; necnon posituram, quæ nihil cum situ discrepat.

20. At septem istiusmodi categorias supremis solummodo duabus contineri arbitrantur; quarum altera, Res; alia vero Modus appellatur: Prima spiritus, et corpora complectitur; ad secundam vero et corporis, ut superiores quinque, et spiritus, cujusmodi sunt cogitationes, et voluptates, modi revocantur: Duo tandem suprema genera illa sub Rei categoria, omnium, et Recentiorum permulti judicant, amplissimâ comprehenduntur: Atque eorum, qui corpus spectant, modorum duo sunt ipsis genera, primitivorum, videlicet, unum, derivativorum alterum: Primitivi dicuntur quinque illi, magnitudo, nimirum, figura, quies, motus, positura; idcirco quia ex illis quæcumque in corporibus accidentia reperiuntur emanant: Derivativi autem ii sunt, qui e prioribus emascuntur in genera quinque tributi, quinque pariter sensibus respondentia. Sed de Categoriis sufficiant exposita.

21. Suis porro prædicamentis, quasdam Aristoteles præmisit notiones, quas ad meliorem eorum intelligentiam necessarias judicavit, easque propterea Antepredicamenta appellavit, cujusmodi sunt univocorum æquivocorum, et ana=

logorum nominum explicationes, rarioribus loco opportuniori. Explicatis categoriis alia etiam subjunxit, quæ Postprædicamenta vocavit, suntq. affectiones quædam generales ex prædicamentorum inter se comparatione exortæ; in quibus primum locum obtinet oppositio, quæ relativa erit si terminorum unus ad alium referatur, ut pater ad filium: Contraria, si inter duo accidentia instituatur sub eodem posita genere, maximè tamen inter se distantia, ut inter calorem, et frigus: Privativa, quæ inter formam sit, seu realitatem, et ejus privationem, ut inter visum, et cæcitatem: Contradictoria demum oppositio inter ens est, et non ens, ut inter hominem, et non hominem.

22. Sequitur Prioritas, quâ unum alio prius dicitur; atq. id erit tempore cum unum ante alterum existit, vel naturâ, ut Sol prior est lumine; vel existendi consecutione, ut animal prius est homine; vel ordine demum, et dignitate, ut Dux prior est milite. Simili ratione plura sunt simul, vel posteriora tempore, vel naturâ, vel etiam divisione, cum species duæ idem genus partiuntur. Inter postprædicamenta etiam Motum alii recensent, et Modum habendi, quæ missa facimus de iis aliàs disserturi.

23. Ex illis jam, Discipuli, quæ hucusq.



Jacobus.
O Homo.
Petrus.
Ar
bos
Irrationale
Animal.
Rationale
P
or
Insensitivum.
Vivens.
Sensitivum.
f
i
Inanimatum.
Corpus.
Animatum.
ri
a
Incorporea.
Substantia.
Corporea.
n
a
Possibilis
Res
Supremum.
Existens.
linea
linea

Modi Figurarum pariter.

A	E	I	O
P. Aaa	Eaa	Iaa	Oaa.
aae	P. eae	iae	oae
P. aai	eai	P. iai.	oai.
aao	P. eao	iao	P. oao
aea	eea	iea	oea
P. aee	eee	iee	oee
aei	eei	iei	oei
aeo	eeo	ieo	oeo
aia	eia	iia	oia P
aie	eie	iie	oie
P. aii	eii	iii	oii
aio	P. eio	iio	oio
aoa	eoa	ioa	ooa
aoe	eoe	ioe	ooe
aoi	eoi	ioi	ooi
P. aoo	eoo	ioo	ooo.

Quæ littera P sunt assignatæ perfecti dictitantur.

Quæ verò nullâ imperfecti dicuntur.

intellexistis, clare patet ideas, ratione objec=
torum spectatas, aut esse Substantiarum,
aut Modorum, aut Relationum, atque
cuncta hęc sub rei genere, ni fallor, com=
prehensa habentur: Res siquidem aut
existens est, aut possibilis; utraque aut
esse potest spiritualis, aut corporea: Corpo=
rea corpus constituit, huicque incorporea
repugnat, et dicitur spiritus. Eum corpus,
vel est animatum et constituit viventi; vel
[redacted]
inanimatum repugnans. Vivens vero,
aut est sensitivum, et constituit animal,
aut insensitivum animali repugnans:
Animal vero, vel rationale est et cons=
tituit hominem, vel irrationale ut est
brutum. Homo denique sub se continet in=
dividua Petrum, Paulum etc.

22. Spiritualis vi substantia est alia
est perfectissima, ac sola independens ut
Deus; alia imperfecta ac dependens; quę
aut suâ naturâ est completa, et vocatur
Angelus, vel est incompleta, quod ad cor=
pus informandum est à Deo destinata, et
Animus rationalis appellatur: Modorum
differentię supra expositę quodammodo
manent; atque etiam de relationibus neces=
saria; cavendum tamen est ne idęę
relativę cum relationum ideis confun=
dantur; illę namque objecta repręsen=
tant aliquam habentia relationem, ut
idea Creatoris, et Creaturę; secundę vero
ipsas exhibent relationes, ut idea Creationis.

25. Ultimo monendum est tres veluti lineas in arbore exposita apparere; quarum media genera cuncta, et species subalternas continentur atque directa dicitur: Duae vero aliae in quibus superiores, et inferiores differentiae collocantur collaterales, et indirectae appellari consueverunt.

Animadversio 3.ª

De Terminis eorumque affectionibus.

26. Cum itaque cognitiones nostrae intus in mente lateant, {externa alia signa} terminis et verbis ipsas, aliis hominibus patefacere cogimur, sic tamen, ut illi ideis hae autem judiciis efferendis inserviant: Est igitur terminus vox articulata ad perceptiones, resque perceptas significandas instituta: Eorum autem genera notatu atque intellectu digniora explicavimus.

27. Alius itaque terminus Categorematicus dicitur, qui per se metipsum, et ideam et rem ipsam perceptam significat, ut Anima; Sincategorematicus vero alius, qui nisi Categorematico consociatus, nihil notat, v.g. nullus. Simplex deinde terminus vocatur, qui uno; qui vero pluribus existit nominibus Compositus, vel Complexus; illius corpus, hujus autem Deus Omnipotens exempla sunt. Terminus praeterea Substantivus est, qui rem significat, ut homo; qui vero rei modificationem Adjectivus, ut doctus. Concretus appellatur, qui subjectum ostendit formâ aliquâ affectum, ut dives; si vero formam duntaxat veluti à subjecto separatam repraesentet, ut divitiae Abstractus nominatur).

28. Finitus insuper ille est, qui rem definité significat, ut prudentia; sin vero nihil ostendit determinaté, ut non prudentia, Infinitus audit. Superest cellebérrima termini distributio in Univocum, Equivocum, et Analogum, quorum aliás mentionem me fecisse memini: Primus ille nuncupatur, qui multis ob eandem penitus rationem rebus tribuitur, ut homo; equivocus autem contrá, qui pluribus significatione plané diversâ inditur rebus, v.g. canis, quo domesticum animal, quidam etiam piscis, atque coeleste signum illud, quod Astronomi vocant Caniculam,

indigitatur.

29. Restat Analogus, quem aut attributionis, aut proportionis denominant; superior est, qui multis ob eandem rationem modo tamen cuique diverso rebus tribuitur, ut sanum, qui terminus homini applicatur, uti sanitatis subjecto; medicinæ uti sanitatis causæ; pulsui denium tanquam ejusdem sanitatis signo: Inferior verò, qui multis certè rebus, atq. diversas ob rationes imponitur, modo tamen eodem, v.g. caput, quod supremæ et hominis, et montis parti tribuitur, quæ res sunt diversissimæ. At eccè vobis de terminis præcipua; quas verò ipsorum affectiones appellant, accipitote.

30. Septem eæ numero à Logicis afferuntur; Suppositio, neampè, Status, Ampliatio, Restrictio, Distractio, Alienatio, et Appellatio; Suppositio acceptio est termini pro se ipso et Materialis vocatur, ut homo est vox bisillaba; vel pro idea, revè, quam exprimet, ut homo est rationalis, et Formalis dictitatur; atq. hæc distributiva, si pro omnibus, et singulis; copulata verò si pro omnibus conjunctim accipitur, erit appellanda. Status termini est acceptio pro tempore copulâ significato, ut deambulans tacet. Ampliatio acceptio est termini


pro quovis tempore, ut Rex imperat. Restrictio vero termini est pariter assumptio, ita ut ejus extensio limitetur, ut Rex Carolus imperat.

37\. Distractio similiter acceptio est termini pro tempore ab eo, quod copula denotat distincto, ut si illa referamus Scripturæ Sanctæ verba, cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant. Alienatio termini est translatio à propria ad impropriam significationem sive metaforicam, ut homo pictus est pulcher. Appellatio postremum applicatio est significati termini unius ad significatum alterius eg. Isaacus Newtonus est magnus Philosophus, ubi magnus supra philosophum appellat. Atque applicatio ea si formæ respectu fiat formalis; si vero materiæ, materialis appellatio dicitur, et est; rem quidem exemplo pandimus; pictor est philosophus, qui terminus in subjectum non vero picturæ autem cadit: Sin vero dicatur, philosophus est peritus in formali termini appellat exitque propterea formalis hæc; illa vero materialis appellatio censenda.

Animadversio 4.ª

Sive brevis tractatus de

DISCURSU.



àm verò de Ratiocinatione dicturi, is erit, quemadmodùm, in coeteris, ordo servandus, ut ea tradamus duntaxat, quę aut ab Authore repeti non possunt, aut in ipso debitâ non habentur perspicuitate: Quo autem omnis vitetur confusio de Discursus naturâ primùm; de Argumentationum multiplici differentiâ, deindè; de earumdem Regulis, ac principiis, posteà; de fallaciis quibus sępè decipi... nobis erit habi-...

De Discursus Naturâ.

1. Est ergo Discursus, aut Ratiocinatio mentis actus, quo ex duobus judiciis, ideam communem habentibus, tertium colligitur; quare si mente spectamus omnem hominem esse sensibilem, hominemque Petrum esse animadvertimus; ipsum statim, ac necessario sensibilem esse colligimus: Quod si postremi cum superioribus judiciis connexio sit nulla, nullam pariter futuram esse consequentiam comperiemus; etsi consequens fortasse verum relinquatur, ut alias me vos docuisse memini, et eo, quod sequitur, exemplo fit manifestum: Omnis homo est intelligens; Didacus autem est homo; ergo corpus est extensum.

2. Jam tria esse in Ratiocinio judicia videtis, quorum priora duo, quod præcedant, Antecedentia; tertium vero quod sequatur Consequens appellate; atque id falsum erit, aut verum, sicuti bona, aut mala dicetur consequentia, juxta tertii cum duobus primis judiciis connexionem: Tres similiter, quamvis plures appareant, in Ratiocinio esse ideas, quarum duæ cum tertiâ comparatæ, ut detegatur convenientia, aut disconvenientia; ipsarum deinde con=

junctionem, sive comparationem inter se aperté commostrant, quod solummodó intendimus ratiocinatione quâcumque. Ast Discursus naturam vidimus hujus interpretem Argumentationem videamus.

De variis Argumentationum speciebus.

3. Est igitur Argumentatio oratio constans terminis, propositionibusque tribus, quarum tertia deducatur ex superioribus; atque primae duae, praemissae, Antecedentes; Major etiam, sive Propositio; secunda vero Minor aut Assumptio, ut scitis, vocari solent; tertia vero Consequens, Conclusio, et Complexio, ob eam, scilicet, quam attulimus, cum de discursu egimus, rationem: Argumentationum autem species multae habentur, tot, videlicet, quot ratiocinia effici mente possunt; eas igitur persequamur.

4. Atque ut exordiamur; Exemplum argumentatio est, in qua ex singulari

singulare aliud colligitur propter similitudinem; ut si dicatis Deus Magdalenæ pepercit pœnitentiam agenti: Petro ergo parcet pœnitenti. Inductio alia est species argumentandi, quâ universim colligitur, quod de singulis est affirmatum, aut negatum inferioribus; exemplo rem pandimus; Lucas est Sanctus, Joannes, Marcus, ac Matheus; omnes igitur Evangelistæ sunt Sancti. Perfecta siquidem Inductio erit si cuncta recenseantur singularia; secus autem incompleta, ac imperfecta nominatur. His ad extremum notate, ipsam inniti principiis: Quod singulis convenit individuis, id ipsum suæ congruit speciei: Quod autem speciei cuivis, generi suo. Quodque partibus singulis, suo toto. Atque argumentatio hæc rerum existit Phisicarum maxime propria.

5. Sequitur Enthymema, argumentatio siquidem ea, quæ duabus explicatur propositionibus, alterâ in mente retentâ; v.g. Omne vitium est turpe; ergo fugiendum; ubi propositio hæc, aut huic similis reticetur, ast luxuria est vitium; quâ egressa, ac completa evadet argumentatio. Altera argumentatio Sorites dicitur, quæ acervus est, ut ita dicam, propositionum ita ordinatarum, ut

unius prædicatum sit continuó subjectum alterius, donec primæ subjectum cum postremæ attributo conjungatur: e. g. Petrus robore Antonium vincit; Antonius, Paulum; Paulus Franciscum; Franciscus Jacobus; Petrus igitur robore vincit Jacobum.

6. Venimus ad Epichirema, quæ ejus est naturæ argumentatio, in quâ sive utriq.ᵉ, sive alterutri præmissarum sua adjungitur approbatio: Exemplo sit; omnis substantia Spiritualis est immortalis; est namque corruptionis, ac interitus expers; sic autem se habet hominis Anima; est igitur ipsa immortalis: Ubi patet primæ propositioni suam necti probationem.

7. Præterea Dilemma argumentatio vocatur, in quâ pariter duæ ita disjunctivâ ordinantur propositione, ut quamque elegerit adversarius incommodum sequatur: Ut si impiis nullam esse post mortem felicitatem, ita concludamus: Impii dum moriuntur, aut omnino pereunt, aut eorum animi supervivunt; si primum nulla eis salutis spes: Sin verò secundum pœnis cruciabuntur æternis; nulla igitur ipsis post mortem felicitatis spes relinquitur.

8. Deficiet tamen Dilemma, si man=
ca aut imperfecta disjunctio sit, mediumve
aliquod admittat, quod animadvertere
poteritis exposita argumentatione eo, qui
sequitur, modo, instituta: Impii dum mori=
untur, aut omnino pereunt, aut super=
vivunt, si illud nullis jam malis sunt ob-
noxii; si autem hoc beatiores evadent:
Interque disjunctionis membra, infelicius
aliud, quod impietatis suæ pœnis affligen=
tur, ut videtis, relinquitur. Porrò si
tria sint in disjunctione membra, Tri=
lemma nominatur, si quattuor Tetra-
lemma: Sicque deinceps.

9. Atque explicatæ argumenta=
tiones ad breviorem, perspicuioremque
aliam, quæ Syllogismus dicitur revoca=
bitis, si tot hujus generis effeceritis, quot
termini in ipsis argumentationibus me=
dii conspiciantur: Est siquidem Syllogis=
mus oratio constans terminis, propo=
sitionibusque tribus: Ipse autem
erit ajens, negans, generalis, aut par=
ticularis, si ejuscemodi ipsius habea=
tur conclusio: Simplex, et præterea
categoricus, cum præmissæ ejus catego=
ricæ ac simplices; cum autem sive utraque
sive alterutra erit composita, exur=
get ipse compositus; quemadmodum

erit hypoteticus, si utriquè, aut præmissarum alteri præfigatur conditio.

10. Insuper demonstrativus appellatur, qui certis constat, ac dilucidis propositionibus; qui probabilibus, probabilis, aut topycus; quod nihil est opus exemplis facere longius: Deinceps qui à recta forma deflectit, regulisquè propterea logicis adversatur, sophisticus audit; estquè hujus generis profectò syllogismus, qui propositionibus specie veris, re autem falsis constituitur: v.g. omnis spiritus vivit; spiritus autem vini est spiritus; vivit igitur spiritus vini; quare hujus syllogismi, error; probabilis autem, aut topyci, opinio; demonstrativi demum scientia, effectus, ut est perspicuum, erit habendus.

11. Est etiam syllogismus, quem biformem appellant, atquè inter compositos adscribendus; in quo propositio major duas partes ita complectitur, ut ipsæ postea dispersæ duas efficiant minores propositiones, et quo sensu prædicatum subjecto tribuitur ultimò concludatur; vide igitur exemplum; qui scientiâ pollet, ac virtute; alteri profectò præstat, scientiâ duntaxat pollenti: Didacus autem utrumquè possidet; Ioannes verò scientiam solummodò; Dida=

cur igitur Joanni prestabit. His adjungito prosyllogismum, qui duorum est syllogismorum conjunctio sic instituta, ut superioris complexio, inferioris estimetur propositio, sive major: e. g. Substantia spiritalis est immortalis; atqui Anima est substantia spiritalis; ergo est immortalis; Immortale quod est, finem non habet; numquam igitur Anima finem est habitura.

12. Cœteros autem, qui compositi etiam existunt, syllogismos longa non est necesse oratione persequi; eorum namque defectus prima patent intuitione, nihilque difficultatis involvunt; namque conditionalis erit syllogismus, si hujusmodi sit ejus major propositio; disjunctivus, si disjunctiva; causalis, si causalis; copulativus tandem, si copulativa. Aliam ultimo loco perpendatis vellim argumentationem Nostericis phisicis familiarissimam, quam Analogiam vocant; ea autem usuvenit cum ex rerum aliquarum effectibus, legibus, phœnomenis, cœteris, similia congerun-tur: Sic ex eadem externa hominum, et aliorum animalium structura, easdem quoque in omnibus sensuum esse functiones concludimus.

13. Hujus argumenti vis ex naturæ simplicitate, ac legibus uniformibus, quibus universum constituit Deus, profecto exoritur: Cavete tamen ne Analogiæ nimi=

ùm indulgeatis, desperatisq.e: Atrium sané est in quod ob id errorum monstra im= pegerint ipsi recentes philosophi: Quapropter si proprietatem, e.g., in singularibus omnibus demonstratam cunctorum tri= buatis collectioni, certitudinem, quidem, phi= sicam hauxietis, atq.e Analogiæ argumen= tum recté tunc confectum judicate: Im= perfecta veró Analogiæ existet ratio cum in pluribus similibus deprehensa ad reliqua ejusdem generis extendun= tur, in quibus nondúm fuere observata; argumentumq.e sic institutum meram ingenerat probabilitatem. Sed de his trac= tenius, prius tamen quam alia perse= quantur, nonnulla de Materia, Forma, Figura, et Modo sillogismorum vestiga= re hujus loci esse proprium, sum ar= bitratus.

14. Jám argumentationis materia id est, ex quo ipsa consurgit: Quod si de terminis sermo sit, remota; si autem de propositionibus proxima dictitatur. Forma remotæ ac proximæ materiæ ap= ta est ad recté concludendum disposi= tio. Deinceps Figura termini medii si= tia dicitur ordinatio; quoniam veró quadruplex esse possit termini illius in præmissis distributio, totuplex erit sillogismi futura figura, quippé aut in majori subjicitur, et in minori prædi=

catur; aut in utraq.e prædicatur præmissâ; aut in ambabus subjicitur; aut denique in majori locum habet attributi, et in minori subjecti.

15. Modus demum diversa est proposi=tionum combinatio in ratione quantitatis, et qualitatis; in quo certè discrepat à Figu=ra, quæ terminorum tantum in ratione prædicati et subjecti dispositionem spectat.

16. Permultis equidem modis syllogismi possunt propositiones connecti; quapropter tot erunt in qualibet figura modi, quot effici queant propositionum trium combi=nationes, litteris A. E. I. O. indicatarum: Sexaginta autem quattuor ab hujus rei studiosis recensentur, ac persequun=tur; ex quibus modo excipiatis novendecim, reliquos et Logicæ præceptis et naturali lo=quendi modo invenietis adversos; atque illæ combinationes, aut modi quibusdam barbaris vocabulis exprimi solent, quæ, de singulis agentes figuris, proponemus.

17. Ad primam ergo figuram quat=tuor spectant combinationes, reliquis præs=tantiores, iisq.e vocabulis contentæ; Barbara, Celarent, Darii, Ferio; quare syllogismus erit rectè confectus in Barbara, tribus adhibitis propositionibus, totidem illis voca=libus litteris respondentibus; sed demus

exemplum: Omne corpus est extensum; omnis autem arbor est corpus; omnis igitur arbor est extensa: Et ita de caeteris intelligite.

18. Ad secundam, quod attinet, figuram quattuor spectant combinationes, vocibus hisce significatis; Cesare, Camestres, Festino, Baroco: Ita autem in Cesare syllogismus factus existet: Nullus spiritus est corpus; omnis autem lapis est corpus; nullus igitur lapis est spiritus. Tertie insuper figurae sequentes tribuuntur; Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison; pari modo fiat syllogismus in Darapti; omnis Angelus est cogitans; omnis autem Angelus est immortalis; ergo aliquod immortale est cogitans.

19. Quartam tandem accedimus figuram, in quâ modi sunt Baralipton, Canentes, Dimatis, Fesapmo, Fresisomorum: Ast ut in caeteris exemplum unum proferamus, eorum modorum primo correspondens; omnis homo est substantia; sed omnis substantia est creata; ergo aliquod creatum est homo; atque ordine exposito cunctos efficere valetis, in allatis modis, syllogismos, mediis tantummodo termini distincta in distinctis etiam, ut suprà monuimus, figuris, distributione servatâ.

20\. Quamvis vero utiles figurae cujusque modos cunctos tradidimus, animadvertatis opportet, quattuor illos in prima figura comprehensos, caeteris esse rectiores, cum accuratior, ac certior ibi sit terminorum ordo; ita ut majus extremum in conclusione praedicetur, minus vero subjiciatur; quod in coeteris aliter evenit figuris; qua de causa cum prima reliquis etiam inferendis conclusionibus sufficiat, Logici multi ipsâ tantum contenti sunt. Equidem aut propositiones deducimus generaliter ajentes, et negantes; aut particulares annuentes, et renuentes; si superius efficimus, duobus primae figurae modis; sin autem inferius, binis etiam ejusdem figurae modis portentoribus conspicere licet.

21\. Quamobrem alius figurae syllogismus, indirecte propterea concludens, ut directus, ac perfectus evadat, ad modum aliquem primae, litterâ simili incipientem, erit revocandus. Reductionis autem duo statuuntur genera: Nam, si per solam conversionem, aut transpositionem propositionum syllogismi imperfecti, sive indirecte concludentis alius expurgat accuratius, atque perfecte concludens, reductio dicitur Ostensiva: Per Impossibile vero nominant eam, si adversario offertur contradictoria verae conclusionis negatae, et tunc cogatur ipse annuere contradictoriae alicujus praemissae ab eodem

antea concessę: Quo abs dubio fiet, ut vel negatam conclusionem tanquam veram admittat, vel quod prius concesserat ut est perspicuum inficiari teneatur. Cæterum pro earum reductionum varietate, variæ etiam edocentur regulæ.

22. Principio, tres cujusque modi imperfecti vocales litteræ sunt attendendæ: Deinceps, cui vocali littera S succedat, propositionem ipsâ significatam, simpliciter esse convertendam denotat: Insuper si P per accidens: Si M transponendas esse præmissas, sic, ut major minoris, minor vero majoris loco constituatur: Si demum C sequatur, syllogismum modo eo confectum, non ad Ostensivam, sed ad Impossibile, ut directe concludat, reduci debere, animadvertite. Bene habet. Ostensivæ reductionis regulas brevi exposuimus; eas similiter, quamvis permultas, ac intricatas, quæ alteram respiciunt reductionem, libenter tradere pergimus.

23. At quo nos rapit, Discipuli, iis de rebus, quæ nullius sunt utilitatis, vos edocendi cupiditas? Ea enim quondam Sophistarum duntaxat alendis, ac finiendis disputationibus inservirent. Rarum in eorum usum foelicioribus hisce temporibus scribere gloriamur, qui non

disputare, scire tamen amant, num vera quidem; num falsa sit propositio quævis; quod solus necessario consequetur, qui de subjecta materia recte habeatur instructus. Quapropter vel contumacem, qui veram neget enuntiationem, aut ipse per se ad officium redit; aut tanquam rationis expertem, sive Sophistam, (per me licet) deserite. Verum de his plusquam satis: Succedant igitur alia illis utiliora.

De Regulis Syllogismorum.

22. Jam Syllogismus quilibet, sive Effectus per causam dilucidis manifestet propositionibus, quod demonstrari dicitur à Priori; sive Causam per effectus, quod à Posteriori nominatur; sive alterius, quam malueritis naturæ, modo directus, vel indirectus existat legibus oportet sit subjectus quibusdam: Hæ autem; aut omnibus sunt communes, aut cujusdam tantum figuræ sillogismos attingunt: Illæ ob id generales, hæ peculiares appellantur: Sed à communioribus exordiamur, de peculiaribus posteá dicturi.

25. Atque primo loco sequentes eæ, tanquam principia substerni debent, quæ, ob id, quia per se patent, nullâ opus est illustratione: Quidquid generi specieive omni tribuitur, cuivis etiam in ipsis contento tribui potest; et contra; ut si de omni animali affirmetur, quod vivens sit; de homine etiam ipsum dici valet. Pari modo, si de omni homine negetur quod sit lapis; de Petro idem negatur necessariò. Insuper, quæ tertio alicui congruunt, inter se conveniant necesse est; et è converso; si enim A equalis sit C; et B etiam equalis C; A et B equales pariter relinquuntur. Sin autem A et B cum C non convenirent, nec inter se congruere viderentur: Quæ adeò clara sunt, ut lateant neminem.

26. Leges reliquæ ex dictis veluti fluentes, sic se habent: Prima cavet; ut tres omnino sint in syllogismo termini: Nam cum ex his unus utrique præmissæ habeatur communis; atque duobus aliis comparatur; tres tantùm exurgent necessariò; in conclusione enim extremi duo cum medio termino binis collati apparent, ut patet, repetiti. Quapropter huic legi ille adversatur syllogismus, quem exempli causâ protulimus, cum de Sophistico sermo fuit; ob eam rem, quia etsi Spiritus ibi vox una esset, duos tamen intellectus haberet, planè diversos; estque idcirco quattuor terminis confectus.

27. Secundâ regulâ præcipitur, ne in conclusione medius terminus inveniatur: Equidem in conclusione duo tantum extrema reperiuntur, in præmissis eo cum termino collata; quo fit, ut nullus medio ipsi termino locus relinquatur. Peccat igitur in hanc regulam, qui sic proponit syllogismus: Omnis spiritus est substantia; sed omnis Angelus est spiritus; ergo omnis spiritus est Angelus. Atque alia hinc proximè proficiscitur regula; conclusionem, videlicet, extremis solummodò terminis semper esse contentam: Siquidem cum termini in syllogismo tres reperiantur, et medio in conclusionem negetur ingressus, ipsam duos alios complecti debere concluditur. Quod si medio convenerint, identitatem; si verò discreverint extremorum eorum agnoscemus distinctionem.

28. Tertiâ ordinatur regulâ, nihil ex particularibus concludi; quippe in syllogismo, cujus præmissæ particulares reperiuntur quattuor termini continentur, quamquam tres esse videantur, ob terminorum in præmissarum unaquaque acceptiones diversas. Quocirca adversus id sequens syllogismus claudicare dicetur: Aliquis homo est justus; sed aliquis homo est fur; ergo aliquis fur est justus. Quarta monet, ex negantibus nihil effici; ob id, nempè, quia in hujusmodi præmissis extremorum cum medio minimè erit conjunctio; atque ideò an conjuncta, an separata inter ipsa sint inde detegi nequit; quemadmodum videre licet exemplo sequenti: Petrus non est equa:

lis magnitudine Joanni; Didacus autem eidem equalis non est; non sunt igitur equales Didacus, ac Petrus.

29. Quinta regula docet, neve plus, neve minus in conclusione, quam in premissis contineatur; quodque medius terminus saltem semel in eisdem universaliter accipiatur; si namque aliud in conclusione terminis illis adjungitur in premissis desideratum, ipsi statim alii pluresque tribus exurgerent, quod altera est jam regulâ vetitum: Ideó vitiosus est, qui ita proponitur, syllogismus: Omnis circulus est figura; omne autem triangulum est figura; ergo omne triangulum est circulus; undé apparet medium terminum particulariter fuisse acceptum, majoremque extremorum in conclusione extensionem invenisse: Ex quo etiam et illud fit, ut medius terminus saltém semél sit generaliter in premissis comparandus.

30. Sexta regula affirmat, quod conclusio debiliorem premissam imitetur: Debiliorem enim habere ajente negantem, generali particularem; sit namque generalis conclusio, v.g. affirmans; jam si premissarum alterutra, aut particularis existat, aut negans; plus in conclusione reperietur, quam in premissis: Atque id proxime exposite regule oppositum. Ex quibus omnibus rationem expostulanti reddere poteritis, cur, scilicét, sic, aut alitér

in syllogismis perfectis conclusio inveniatur: Si enim ea universalis existat ajens, ejus etiam naturæ præmissæ fuerint necesse est; neq. major esse potest extremorum tandem inter se comparatio, quam eorundem cum medio in præmissis extiterit. Si enim particularis esset ajens, aut negans, præmissarum etiam aliqua erit hujusmodi; cum debiliorem conclusio partem sequi teneatur.

31 Jam si conclusio generaliter neget, generales quoque præmissæ habebuntur, ut proximé monuimus: Ast ipsarum altera ajens, ne ex binis negativis aliquid efficere tentetur: Alia veró negans, conclusione, videlicet, debiliorem partem imitante. Sed regulas singularum figurarum peculiares patefacere nolumus, cum potius aliam, specialem quidem, quam præterea magni faciendam esse egregii Logici arbitrantur, doceamus.

32. Præscribit itaq. hæc, ut præmissarum altera conclusionem contineat; altera autem id ita esse significet, manifestet: Ad primum quod attinet, necesse est, cum forma syllogismi est legitima, conclusionem elici ex præmissis; quod sané fieri nequit, nisi in ipsis lateat; ita enim se habent, quæ ex aliis

exuuntur: Lateat, inquam, si enim iisdem esset ibi terminis expressa, nil jam, ut patet, ultimò probaretur; et in conclusione id quidem apparere debet, quod probare intendimus: Secundum etiam verum est; adhibitis namque præmissis rectè dispositis, suâ quasi sponte labitur conclusio; quod certè nec eveniret nisi alia conclusionem continens; hoc autem indicans alia propositio constituatuatur. Quibus positis ad peculiares uniuscujusque figuræ leges deveniamus statim.

De Regulis Specialibus.

33. Syllogismi igitur in primâ figurâ confecti, **minor propositio affirmativa, major vero universalis sit opportet**: Si namque minor ponatur negans, major ajens erit necessariò futura, ne ex negantibus aliquid efficiatur; et conclusio bariter exorietur negativa, cum ex hypotesi sic se haberet præmissarum altera: Jam majoris attributum, cum majus sit in præsenti figura extremum, atque ob id in conclusione prædicatum; si hæc negativa sit, negationis vi, prædicatum sumetur universaliter, majorique pollebit conclusione, quam in præmissis, extensione.

34. Itinc major debet esse universalis: Terminus namque medius saltem semel in premissis est generaliter comparandus; quod cum esse nequeat in minori affirmativa, vi affirmationis, in qua locum obtinet predicati, atque si major sit particularis, ita etiam in ipsa sumeretur; majorem universalem esse debere relinquitur.

35. Secunde figure syllogismi hac regula innituntur: Quod, nimirum, premissarum aliqua sit negans; major autem universalis: Quorum ea est ratio; medius terminus, ut nostis, attributum est in ambabus premissis; nisi ergo earum altera neget, numquam generaliter erit comparatus, et acceptus: Ob id etiam negans exponitur conclusio, que debiliorem consequitur partem: Preterea majus extremum conclusionis locum habuit subjecti in majori; si igitur hec non existat universalis; majori tandem extensione extremum illud inveniretur, quâ in premissis fuerat potitum.

36. De tertia postmodum figura hec docentur: Minor propositio affirmativa; et conclusio est particularis: Superius ipsâmet innitur ratione, que de prima loquenter figura allata est; posterius vero propterea asseritur, quia minor conclusionis terminus locum predicati in minori obtinet premissa, que cum affirmativa sit, et ideo predicatum particulariter accipiatur; sic se habeat con=

clusio ne ipsum extensius evadat, necesse est: Accedit eodem; quod premissarum etiam altera generalis existere debet, ut medius terminus saltem semel illo modo sit in eisdem comparatus.

37. Tandem de syllogismis quarte figure modis confectis, que sequuntur accipite: Principio, si majori gaudeant affirmante, minor erit futura communis: Deinceps, si minor affirmet, particularis exorietur conclusio: Postremo, hanc, si forte inveniatis negativam, majorem universalem necessario extitisse, cogitate: Tria hic, ut videtis sunt demonstranda: Ad primum quod attinet, ita concluditur: Medius terminus majoris est attributum, que cum affirmativa supponatur, affirmationis vi, particulariter in ipsa erit acceptus, quapropter ut saltem semel universaliter in premissis comparetur, minor, cujus est subjectum, generalis sit opportet.

38. Sequitur alterum, conclusionem particularem esse, dum minor affirmaverit propositio: Ob eam rem, quia hujus premisse attributum est in conclusione subjectum, in qua eâdem sumi debet, ut alias cautum, amplitudine. Tertium superest, majorem universalem esse, cum negativa apparuerit conclusio: Nam majoris subjectum conclusionis est predicatum, quod cum, negationis vi,

universaliter accipiatur; sic fuisse prius comprobatum convincitur; atq. id nullatenus eveniret, nisi major haberetur communis. Sed de peculiaribus figurarum singularum regulis hucusque, ad alia veniamus.

De Fallaciis.

39. Postquam rectos enumeravimus ratiocinandi modos doctrinæ postulat ordo, ut de Sophismatibus, quibus sæpe decipimur, nonnulla etiam doceamus; non quidem ut iis, Juvenes, utamini nunquam; (est autem illud claro, ac ingenuo philosopho indignum, indecorum) sed ut cavere discatis dum vobis cum Sophista sit forte vobis concertandum. Jam Sophismatum aliae voces, res alia attingere possunt: Ast de primis, primo; de secundis secundo expositio erit habenda. Equidem illa sex sunt numero, quæ aut una voce consistunt, ut Accentus, Figura dictionis, et Homonymia; aut in pluribus, quemadmodum Amphibolia, Compositio, atq. Divisio; percurramus singula.

40. Accentus Sophisma est, quod ex varia syllabæ alicujus quantitate proficiscitur, atq. ob id diversum sensum

elicimus, v.c. repente, primâ correptâ, pro: tinus, statim; productâ vero verbi repo, indicat participium. Figuræ dictionis abusus est vocum sonum similem, aut terminationem habentium; cujusmodi est abeo, pro habeo. Homonymia ambigua est vocis alicujus significatio varia denotare potentis, ut caput, ut canis. Quæ autem sequuntur, Sophismata, non unâ, sed multis vocibus reperiuntur.

43. Amphibolia copulatio est vocum, quarum varius esse potest intellectus; ut: te, arbitror, Hisbali studuisse. Compositio intervenit, cum separanda conjunguntur: Divisio vero, cum dividuntur conjungenda; itaque si quis dicat hominem pedibus vinctum ambulare nequire, vera erit propositio in sensu composito, ut Scholastici loqui amant; neque enim res duas simul efficere poterat: Falsa autem in sensu diviso, poterit namque homo vinculis solutus incedere: Caeterum, si dicat, potest homo vinctus ambulare, id verum erit sensu diviso, falsum composito.

42 Ad septem autem alias accedamus fallacias, ex rebus ipsis ortum ducentes, quæ Accidentis, Dicti non simpliciter, Consequentis, non Causæ pro causâ, Petitionis principii, Ignoratio=

nis, Elenchi, ac Plurium Interrogationum vocabulis cognoscuntur. Accidentis fallacia committitur, cum id, quod rei fortuito convenit tanquam necessarium ipsi tribuitur, ita v.c. philosophantur, qui Logicam vituperant, quod fuisset sepe multorum perniciem, qui eam in usus pravos detorserint.

43. Dicti non simpliciter Sophisma est, cum quod ex parte duntaxat verum est de toto etiam censetur: Peccant igitur Epycurei sic argumentantes: Homo moritur; constat autem ipse Animâ et corpore, hoc ergo, et illa moriuntur. Non Causæ pro causa sequitur fallacia, quæ tunc committitur, cum effectui causa tribuitur à vera, et propria remota: Sic prave Gentiles Romani ratiocinabantur: Christiana Religio in causa est cur tot malis affligamur; penitus ergo exterminanda, delenda. Ad hoc refertur Consequentis Sophisma, quod sic exprimi solet: Post hoc; ergo propter hoc; ut cum Ethnici affirmarent, post introductam Christianam Religionem Imperium Romanum cecidisse; ergo propter illam: Quo pestilentius nihil.

44. Petitio principii idem est probare per idem, seu ab eo argumentum sumere quod disquiritur, vel est eque controversum. Ita si mentem humanam numquam interituram quis demonstret, quia sit perpetuò corporis su=

pervertens; nam duratio ea post corporis defectum est ipsa animi immortalitas in questione posita: Eo etiam spectat Circulus Vitiosus, qui committitur, cum binis adhibitis propositionibus ipsę probantur ad invicem: Sic Chartesiani nil esse in natura inane contendunt, quod locus omnis sit subtili materia repletus, existere é converso subtilem materiem omnia adimplentem, quia inanitas est nulla.

45. Ignorationis Elenchi in fallaciam cadit, qui argumenta ita proponit, ut rei minime officiant, quę disquiritur: Quapropter homo atractionem despiciens Newtoni, tanquam occultant qualitatem, cum clarissimus ille Philosophus, ut effectum multis, tantummodo notum experimentis, ipsam edoceat; aliud quidem ab eo impugnat, quod sibi erat impugnandum: Similiter judicans contradictoriam subjectę questioni arguentem opposuisse cum reapse ita non sit. Denique Multorum Interrogationum Sophisma contingit, cum plura simul quęruntur, quibus nequit una satis esse responsio, e.g. si interroganti, utrum Didacus sit homo, et equus? esse tantum aut non esse respondetur in captionem inciditur; pariq. modo si per ambiqua fiat interrogatio vocem nempe plura significantem.

46. Otis omnibus adjungunt alii

nec immerito Analogie argumenta; ad Hominem; ad Verecundiam; ad Ignoranti-am, et Consequentie, quod in pluribus lo-cum prebere soleant deceptioni. Primum supra exposuimus: Argumentari autem dicitur ad Hominem, qui ex alterius sive falsis, sive veris sententiis, quas tamen ipse ut veras amplectitur, adversam a-liam suadere conatur: Quod argumenti genus ad revincendum potius deservit, nihilque firmum constituit: Unde illud in Scholis vulgatum: Retorquere, non est respondere.

47. Ad Verecundiam agit, qui ita suarum opinionum Authores sapientiâ ac dignitate collaudat, ut adversarium disputantem quasi stultum, et arrogan-tem traducat; id autem ab eo fit, qui aut rationum momentis, quibus rem tueatur destituitur, aut iis uti nesciens alterum opprimere mavult, quam revin-cere: Quod sane propterea Sophisma audit, quia nullum estimari debeat auctoritatis pondus, si argumenta intrinseca deside-rantur.

48. Ad Ignorantiam argumentum instituit, qui adversarium rogat probatio-nes renuentem, et inanes judicantem, ut prestantiores afferat, quô deficiente in pro-priam obtorto collo ipsum adscribere co-natur: Falsâ quidem homo ille ratioci-natione capietur; neque enim sua opi-nio vera censenda, quod alter, aut probationes diluere nolit, aut prestantio-

rem nesciat suadere sententiam.

49\. Postremum Sophisma est Congru-entiæ, quod ad ineptam Analogiam revocatur, quoque falsâ ratione aliqui congruere decernunt ridicula nonnulla animantibus ratione præditis indigna: ut qui ob id nuptias ad quartum usque consanguinitatis gradum prohiberi, quia quattuor essent primæ corporum qualitates calor, frigus, humiditas, siccitas, arbitrarentur. Minuta, fateor, sunt hæc Logico tamen viro noscenda; non quia, ut Quintilianus ait lib. V.º cap. 10, possint facere sapientem, sed quia et illum ne in minimis quidem opporteat falli.

50\. Quoniam verò Sophismata recensita sunt, quibus sæpe sæpius decipimur, atque in errores multos incauti labimur, doctrinæ connexio exigere videtur, ut cunctorum errorum fontes indigitentur, quapropter sequenti appendice eos breviter percurrere decrevimus.







Appendix
De variis Errorum Caussis.

51. Ut autem eâ, quâ par est, perspicuitate, de errorum fontibus peculiaria tradantur, quid Error ipse, ac in quas res cadere contingat explanare maxime ducimus opportunum. Est igitur Error falsa cognitio, quæ pro vera habetur, et vicissim; quod et in ideis, et in judiciis, et in ratiociniis locum obtinere potest. Falsa dicitur idea, quæ objecto suo minime congruit, at interim congruere putatur. Verum enim vero nulli alii errores latius provehuntur, quam qui in primas ideas irrepserint, cum hæ totius nostræ cognitionis existant fundamenta, quasque proinde summâ diligentiâ, ac curâ perpendere oportebit.

52. Insuper falsum proponimus judicium, cum rei danda ab ipsa removemus, v. removenda tribuimus. Quocirca non est animo præcipiti, sed pacato, ac sereno assensus aut dissensus præstandus, si præjudicia vitare vellimus; est enim præjudicium præceps, ac inconsideratum de re non satis perspecta, et explorata judicium. Falsa vero appellatur ratiocinatio cum deducta conclusio falsum sit ju-

dicium; atq.^e id eveniet, si falsis etiam sit innixa principiis; aut cum hæc falsó applicata; aut quia ex veris nec rite, nec necessario concluditur, quemadmodum ex supratraditis repetere potestis.

53\. Quibus ita constitutis, tria suprema errorum universorum capita conferuntur: Siquidem, aut ab animo, aut a corpore, aut ab externis rebus proficiscuntur: In animo varia veniunt consideranda, ejus, nempe, brevitas, ac imbecillitas, cum infinita sciendi libidine conjunctę; attentionis, et voluntatis absentia, cum amore proprio copulata, dominantes affectus. In corpore autem ipsius pondus, ac naturalis pigritia, temperies, phantasia, sensus. Denium extra nos sequentes habentur errorum causę; Parentes, Magistri, libri, populus; ex quibus omnibus alię profluunt minus communes, quas sigillatim exprimere operis esset longissimi.

54\. Sed expositas eodem ordine aliquantulum perscrutemur: Equidem mentis brevitas, ac imbecillitas multoties in causa sunt, cur in obscuritate, atq.^e in confusione versemur; rerum etenim multitudine mens obruitur, atq.^e lassatur: Hinc

ignorantia, falsa cognitio, errores; Quid, quòd cum infinita sciendi libidine est veluti copulata? Quo fit, ut tantum sci=xi posse putet, quantum quæxi; ut ea abs præparatione debita pervestiget, quæ captum superant, et ad quæ media, ac viæ defficiunt; ut pluribus det operam; ut sine ordine discat; ut ideis satisfi=at obscuris, ac inadæquatis; ut iis incum bat, quæ voluptatis potius, quam utilita=tis esse soleant, utque demum novitati=bus nimis studeat; Vix credibile est quanta errorum monstra ex his e=manantur! Atque eorum vitandorum remedia verum cuique rem accurate perpendenti erunt protinus manifes=ta.

55. A voluntatis etiam et attentionis defectu nimio nostri amore conjunctarum errores similiter progignuntur; namque ex quadam animi inertia, ex corporis voluptatibus; ex opinione imbecillitatis mentis nostræ, ut nihil propterea in qui=busdam disciplinis proficere posse exis=timet; ex timore valetudinis amittendæ; ex eo, quod iis navare operam coga=mur, à quibus abhorret animus; ex

perniciosissimâ opinione, scientiam cum pietate pugnare; ex magistrorum tandem ne multus sim illiberali, implexa, rupta docendi ratione, fit, ut à litteris omnis avertatur attentio; falsis imbuatur animus cognitionibus, ac nec latum quidem unquem proficiat. Seriâ ergò ac jucundâ voluntate ad scientiam comparandam est accedendum, cum ab erroribus liberi esse desideramus.

56. Venimus ad affectus, quos melius appellarem ignorantiæ, ac errorum uberrimos fontes, quibus quidem homo alacris, expeditus, ad judicandum tamen efficitur ineptus. Qui affectu aliquo subagitatur, animum seriò applicare non potest, et pro veris illa utplurimum complectitur, quæ non ratio, sed affectus suasexit. Quamobrem infirmitas ejusmodi et attentionem avertit, et acumen retundit, et ideas, ac judicia corrumpit. Quæ ut impediantur ne eis animus occupetur cura erit præcipua; et quæ ab ipsis agitati judicaverimus, serenâ postmodum mente ad incudem revocanda. Caeterum ab his ad alia jam transeat oratio, quæ corporis æstimantur.

57. Corporis gravitas, pigritia, ac

naturalis ignavia errorum multorum in causa sunt: Ex eo namque provenit, ut pauca discamus; ut nonnulla quamvis paulò difficilia, prætereamus; ut scientiarum superficie, atque ideis quoquo modo comparatis, nobis satisfaciamus; ut antiquos errores non detegamus, quin potius ii odio habeantur, qui ad diligentem ipsorum disquisitionem nos provocare contendunt. Ex quibus, quot errores effluxerint, nemo non videt.

58. Corporis etiam temperies nocet permultum; namque flecmaticus memoriâ valet, judicio parùm, ingenio, et acumine destituitur. Sanguineus ingeniosus quidem, laboris tamen impatiens, ac inconstans; caretque judicio. Cholericus insuper homo, et ingeniosus, et solidi judicii, et laboris patiens existit. Tandem qui melancholico gaudet temperamento, mente confusus, magnis ac obscuris valdè delectatur, sibique numquam satisfacit. Quin autem exposita corporis temperamenta, et morbi ipsius cuncti in animum influant, variæque propterea errorum causæ, inde enascantur nemo ire valet inficias.

59. Phantasia sequitur, cujus vis à temperamento emanat, in eam omnes veniunt sensuum imagines, et juxta temperamenti indolem miris augentur, minuuntur, copulantur, turbanturq. modis; atq. si imagines sensuum defficiunt, incredibile est quot, et quanta facultas illa comminiscatur, et quos quasi novos mundos sibi confingat. Sensationes etiam ab imaginationibus eo discrepanter, quod illę his vividiores, ac clariores existunt, maximi constituuntur errorum fontes. Sensus enim rerum non nisi cortices attingunt; voluptatis causâ vividissimé à suis objectis ita afficiuntur, ut cum ab iis demulcentur, totum occupent animum, et rei alteri ipse animus serió intendere sinat.

60. Accedit eodem; quod sensus pauci, iiq. imperfecti habentur, ipsorum, videlicét, cum rerum multitudine, ac varietate, instituta collatione; indé est, quod alia non existere judicemus, quam quę quinque sensibus percipiuntur. Deinceps permulti modi sunt sensibus nostris respondentes, quibus pariter decipimur; quos si persequamur longissimâ esset opus oratione: Credimus namq. res

extra videre, cum imaginibus intra nos depictis videamus; neq. magnitudines, figuras, distantias, colores corporum determinare possumus; ita si microscopiis, ac tellescopiis rem intueamur, eam aliter se habere convincimur: Nonnunquam quæ moventur, stare; quæ verò stant moveri putamus.

61 Tactu externo soliditatem, gravitatem, duritiem, aliasq. corporum proprietates, interno verò voluptates, atq. dolores sepissimè definire auctumamus. Simili modo gustu fallimur, auditu, odoratu, atq. ex horum sensuum in multis varietate varia etiam docentur de corporum qualitatibus, quæ ipsos sensus spectant. Atq. hi sunt corporis causâ errorum fontes præcipui, quorum quidem cavendorum remedia multa Canonibus quibusdam fusè persequitur Clarissimus Genuensis, quem utpluries, Adolescentes, legatis, auctor sum.

62. Interea tamen continuo exercitio, ut ipse docet, corporis ignaviam corrigito; stilo utitor; viros collito litteratos; à ludis, spectaculis, nimio somno, cibo, potu, et tactus voluptate, quibus animi, et corporis vis he=

betatur, caveto; deinde corporis temperiem sedulò perpendito; ab iisque omnibus abstineto, quæ phantasiæ vim augere valent; à judiciis fugito præcipitatis, quibus sanguinei, et ab expectaculis tragicis, quibus melancholici proni sunt, quia facilè tristantur. Temperamento autem tardi, qui sint æmulatione æqualium excitentur, loca desserant humida, atque cum tardis et tetris, à colloquio abstineant. Sensus tandem habere opportet, quoad fieri queat, recte dispositos, atque perfectos: de rebus externis sensuum tantum officio, judicandum, sed ipsos semper, et rationem in consilium adhibere utrumque quisque debebit.

63. Restat, ut de errorum caussis externis proferamus nonnulla. Principio Parentes hac super re non parum nocent, cum neglecta cura ignorantiæ ergò aut nimiæ indulgentiæ, severitatis, auctoritatisque necessarias, et appositas infantibus denegant cognitiones: Cujus rei; proh dolor! infinita fere sunt exempla. Idem esto de Magistris suorum dogmatum amatoribus, educatoribusque cunctis. Libri etiam indocti et Populus tantam undique disseminant errorum colluviem, ut refferre esset difficillimum. Rerum quæ sequuntur his

remedio esse debeant.

64. De omnibus ratione est judicandum; nullius hominis ingenium contemni debet; opiniones à majoribus acceptas, cum adulta sit ratio, ad examen revocare oportebit; et quisque proprio studio in iis se purgare, ac perficere conetur, in quibus à parentibus atque educatoribus non recte institutum agnoscat. Libri legendi de puerorum educatione, atque in omni re egregii; tunc auctoris potius inventa, et rationes, quam auctoritatem equâ lance appendere juvabit; quapropter, ut ne in alterius verba juretur Eclecticorum more philosophandum.

65. Per Eclecticam namque philosophiam sapientia ratione tantum quaeritur; ratio autem sensuum experimentis, observationibus, intimâ conscientiâ, et ratiocinatione dirigitur; auctoritate etiam in illis Eclectici utuntur, quae aliâ viâ pervestigari ac sciri non potuerunt. Jam si ingenui sapientes, atque clarissimi accedant Magistri, qui vulgi opiniones incertas, vagas, ac praejudicatas removeant, errorum pars non exigua vincenda erit. Atque his explicit Appendix.

Animadversio 5.ª
De Methodo.

66. Agé sis Methodum tandem pervenimus, eam, scilicét, mentis actionem, quia ita reliquę ordinantur, ut commodiùs quis sibi quod sit ignotum assequatur; nam etsi ejus naturę sint res nonnullę ut primâ pateant intuitione, cætera veró non nisi post longam apparent, ac bene institutam nostrarum cogitationum ordinationem: Hinc methodo nil opportunius, aptius nil, ac utilius; Est autem ipsa nihil aliud, quam cogitationum apta dispositio, quâ sive latens veritas invenitur, sive inventa docetur; itaqᵉ primum si spectetur Analytica sive resolutionis; si verò secundum Syntethyca, sivé compositionis, et doctrinę dicitatur.

67 Jám quędam sunt regulę Methodo utrique communes; alię uniuscujusqᵉ peculiares, ac proprię: At de illis statim; de his postea erit disserendum. Quibus ita constitutis, nonnulla ad extremum subjicientur de rectâ disputandi ratione. Methodo igitur quâque quisque procedat, á facillimis exordiatur, ac

inde ad difficillia pedetentim progredietur; stilo autem utens simplici et facili; verba etiam nec afferat superflua; nec prætermittat necessaria. Rem deinceps commoda partitione in ea tribuat membra, quæ ipso ordine sint postea examinanda, aut edocenda: Insuper ambigua, et obscura vocabula definiri debent. Atque hæc sunt utrique methodo communia, et quæ de ipsis tradi solent præcipua.

68 Ast cum invenire primum sit, docere postremum resolutionis Methodum alteri præmittamus. Si cui igitur rem difficilem vestigare contigerit, principio cogitet, num ad id instructus, satisque dispositus inveniatur, de rebus namque phisicis, {ut detur exemplum} qui recte appositeque valeat erudiri, non video Matheseos ignarus: Quod si aptus existat, questio, cum opus sit, prius ab eo secetur, atque cuncta discutiat, quæ rei lucem afferant evolvendæ, quæ vero contra procul removeat. Post, questionis statum, illud, nempe, quo tota sistit rei difficultas, attente perpendat; certis principiis, ideis quoque mediis, quibus ceteræ compararentur statur, atque ita questionem bona luce collocavit.

69. Praeterea quod idea aliqua claré contineri conspicitur, ei dandum est; adversum autem quod sit de eâdem amorsum verandum: Quod si neutrum satis innotescat, eousque repetatur idearum collatio donec an inter se conveniant dissentiantvé detegitur: Quo effecto si nondum quod queritur appareat, non ideó res vera, v.l falsa, sed incerta ac dubia definienda. Atq.e ea de veritatis investigatione, seu Analytica Methodo docentur; alię veró quę sequuntur requ[i]lę eam attinent, quám Syntetice, sive compositionis, et doctrinę nomine supra insignivimus.

70. Nequit igitur, ut est perspicuum, nemo ea alios docere, quę sibi ignota ac bené perspecta non sint: Deinceps, idoneos seligere debet auditores, qui scientias, et artes ant possidere, et ipsis libentissimé incumbant: Insuper verbis rem aperiat propositam clarissimis, ac usitatis; neque enim omnia sunt omnibus: Axiomata, definitiones, postulata, reliqua premittat, quę rei meliorem, et illustriorem afferant intellectum: Itaq.e conficiendarum propositionum ordo sic institui debet, ut quę aliis ostendendis inservi=

ant, his præmittantur; quod si ipsarum aliqua ad rem non pertineat, procul est eliminanda. Quo fiet, ut rei cujusque natura aptius cuique manifestetur.

71 Superest, ut quæ sint servanda in recta disputandi ratione ostendamus. Disputationis nomine mutua intelligitur propositionis alicujus impugnatio: Qui propositionem tuetur, Defendens, qui vero propugnat eandem, Objiciens nominatur: Utriusque autem est proprium; rem controversam habere perspectam; linguam, qua disquiritur, tenere; præsentis esse animi; iram, odium, invidentiam, reliquos tandem affectus tumultuosque reprimere. Sed jam videamus specialia cujusque.

72. Equidem Defendentis est; quæstionem proponere; verisimiliorem seligere opinionem, eamque firmissimis approbare momentis; arguentem excipere humaniter; sibi opposita iisdem [illegible] fieri poterit verbis repetere; propositiones falsas improbare; veras concedere; ambiguas distinguere; ad rem non attinentes missas facere; obscuras explicare. Ejusdem etiam curare est, ne ab Objiciente tanquam certum sibique datum, ac permissum

aliquid accipiatur, quod neque verum, neq.e sit revera concessum.

73. Ad Objicientem spectat, propositionem propriis, ac directé oppositis argumentis impugnare; totoq.e disputationis tractu negatas opportunis conficere rationibus: Medio semper aut viâ insistere, quam semel labefacturus sententiam, delegerat. Demum argumentum ita instituere, ut ipsum si potuerit, ad certa nitatur, ac evidentia revocare principia, unde cogitationum veritas nostrarum, est proximé exaurienda.

Ast quæ vobis Discipuli
animadvertere, et præ=
notare promissi=
mus habeant
hîc termi=
num.



Quarundam Conclusionum Approbationes.

1.ª Existit Philosophia.

Philosophia est cognitio vera; multę autem in nobis existunt cognitiones ejusmodi; existit ergo Philosophia. Probatur Minor. Proprio conscientię testimonio suadetur quisque de sua existentia, et his similia ita cognoscit, ut de illis nec minima quidem ei supersit dubatio; sunt ergo in nobis cognitiones verę, ac certę; ac proinde Philosophia.

2.ª Logica est Scientia.

Scientia est cognitio vera, certa, ac evidens; Logica autem est hujusmodi; est igitur ipsa scientia. P. Min. Logica et verissimas tradit regulas, et eas ita approbat, et manifestat, ut ipsarum veritas, certitudo, ac evidentia cunctis innotescat; est igitur ipsa cognitio vera, ac certa; atque scientia ob id nominanda.

3.ª Objectum materiale Logicę sunt mentis operationes.

Objectum materiale cujusque facultatis illud est, circa quod ipsa versatur; Logica autem de mentis agit operationibus; hę igitur sunt ejus objectum materiale. P. Min. Logica agit

de Perceptione, Judicio, Discursu, cæteris; agit igitur de mentis operationibus, et illæ propterea ipsi erunt subjecta materies.

4. Objectum formale Logicæ sunt mentis operationes, quatenus dirigibiles in verum.

Objectum formale cujuscumque disciplinæ illa est ratio formalis sub qua suum considerat objectum materiale; logica autem intellectus actiones spectat quatenus dirigibiles in verum; eæ igitur sub exposita ratione sunt logicæ objectum formale. P. Min. Totus logicæ finis eo vertit, ut regulis certis, ac fixis mentis operationes subjiciantur, ut cuique consideranti patebit; logica igitur mentis operationes considerat quatenus dirigibiles in verum.

5. Logica artificialis est simpliciter necessaria cæteris dificillibus disciplinis in statu perfecto comparandis.

Logicæ artificialis ignarus prolixiores, ac dificilliores perpendere, ac examinare nequit demonstrationes, quæ in scientiis dificillibus passim inveniuntur; logica ergo est simpliciter necessaria ad eas scientias perfecté consequendas. P. A. Qui examinare nequit num demonstratio quævis severitatem demonstrationis obtineat, necne dificilles non valet perpendere; sic autem se habet logicæ artificialis ignarus, cum confusam

tantum habeat regularum, ac preceptorum notitiam ex Logica naturali desumptam; est igitur logica artificialis absolute necessaria ad scientias dificilles perfecte consequendas.

6.a Plures sunt in nobis Ideę Intellectuales.

Plures sunt in nobis ideę absque ullo phantasmate acquisitę; eę autem dicuntur pure intellectuales; ergo tales ideę in nobis existunt. P. May. In nobis sunt ideę assensus, dissensus, justitię, intelligentię, Dei, reliquę; hę autem absque ullo phantasmate comparantur; ergo in nobis sunt ideę illę pure intellectuales.

7.a Plures sunt in nobis ideę Innatę, si illarum nomine eę veniant intelligendę, quę facili rationis usu acquiruntur.

In nobis sunt hujusmodi ideę si plures acquirimus facili rationis usu; ita autem multas habemus; sunt igitur in nobis ideę innatę juxta premissam definitionem. P. Min. Levi attentione nostrę percipimus cogitandi modos, axiomata, definitiones, propositiones maxime universales, et res alias permultas, quę in Nostri Creatoris cognitionem nos adducunt; ergo multas habemus ideas facili rationis usu acquisitas.

8.a Voces sunt signa arbitraria res, ac cogitationes significantia.

Signa arbitraria ea sunt, quę sunt in=

differentia ad quamlibet significationem; sunt autem hujusmodi voces omnes; eæ igitur signa sunt arbitraria. P. Min. Quæ nullam habet connexionem, aut similitudinem cum rebus significatis ea sunt arbitraria signa; atqui voces nullam habet connexionem, aut similitudinem cum rebus significatis; siquidem locis diversis diversæ etiam tribuuntur significationem; voces igitur sunt indeterminate, et ad quamlibet significationem indifferentes: Quod autem ipsæ voces res manifestent, ac cogitationes notissimum est; neque enim eas aliis hominibus manifestare possemus, neque ipsos loquentes intelligeremus, nisi voces signa essent rerum, ac cogitationum nostrarum.

9.ª Judicium est mentis actus simplex.

Natura judicii sita est in actione, in actione intellectus, qua unum de alio affirmatur, aut negatur; actio autem ea simplex est, ergo et judicium. P. Min. Actio, qua unum de alio affirmatur, aut negatur, est nihil aliud, quam perceptio convenientiæ, aut disconvenientiæ duarum, idearum inter se; aut perceptio illa ex ideis extrinsecus non componitur, sed ipsas spectat tanquam materiam; ergo actus mentis notiones conjungentis, aut separantis simplicissimus est.

10.ª Judicium non voluntatis, sed intellectus est actus.

P. Percipere convenientiam, aut disconvenientiam duarum idearum inter se, actio est intellectus; ea autem ipsissimum est judicium; hoc ergo non à voluntate, sed ab intellectu proficiscitur. P. Maj. Percipere convenientiam, aut disconvenientiam duarum idearum inter se est unam de alia affirmare, aut negare; atqui affirmatio, aut negatio actus est intellectus; actus igitur judicii ab eo, non vero ab voluntate proficiscitur.

11.ª Ad verum à falso discernendum sufficiunt regulę Logicę, nec alio opus est veritatis criterio.

Veritatis criterium norma est, aut regula vera à falsis discriminandi; sed ad id sufficiunt regulę Logicę; ergo in ipsis veritatis criterium est constituendum. P. Min. Verum à falso discernitur, cum demonstratur prędicatum subjecto convenire vel non convenire; id autem efficitur regulis Logicę; eę igitur sufficiunt ad verum à falso discernendum. P. Min. Regulis Logicę docemur de rectitudine judiciorum, cum re bené perspectâ idearum convenientiam, aut disconvenientiam percipimus, atque accurata esse ratiocinia decernimus cum ipsis regulis habentur consentanea; logicę igitur regulis efficitur ut verum à falso distinguatur; atque ob eam rem nullo pręter ipsas opus est veritatis criterio.

12.ª Scientia, fides, et opinio possunt esse simul in eodem intellectu de eodem

etiam objecto per diversas rationes, aut media spectato.

Actus illi simul esse possunt, qui non sunt inter se oppositi; actus autem scientię, fidei, et opinionis nullomodo inter se pugnant; ergo in eodem intellectu valent consociari. P. Min. Judicia diversis innixa principiis non sunt inter se opposita, atque in eodem intellectu valent consociari; hujusmodi autem sunt, qui scientiam pariunt, fidem, et opinionem; actus igitur illi non sunt inter se opositi. P. Maj. Per scientiam ex premissis veris, vera etiam eliciturque consecutio; per fidem res cognoscitur, ex auctoritate, v.l divinâ, quę certissima est, v.l humana, quę sępé fallibilis; atq.e per opinionem tandem ex probabilibus judiciis probabile aliud eruitur; sed in judiciis ita confectis nulla est contradictio; quinimó si diversa in eodem intellectu absit ratio diversa quare judicia illa fieri necessum est; ergo judicia diversis innixa principiis non sunt inter se opposita; et idcircó actus scientię, fidei, et opinionis valent consociari in eâdem mente, & re etiam eâdem diversa tamen sub ratione considerata.



Codicis Finis.

STEFANO